

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

De restitutione.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

scientiæ studere debet, Deo actuum suorum rationem redditurus. Atque hoc observandum in iis, quæ ad jura Majestatis & Regalia referri solent: qualia legislativa potestas, interpretatio, dispensatio, legis strictæ moderatio, privilegiorum concessio, asyloium constitutio, literarum moratoriarum tributio, restitutio famæ, legitimatio seu natalium restitutio, ætatis venia, arrogatio, juramenti relaxatio, &c. Est enim vox bovis, nec hominis, cum dicitur, *ei licere, quod libet. Resp. 6.* Quidquid benignioris judicii de quibusdam mensis hodiernis (quasi scilicet emendatis) ostentetur: non tamen mensis illis ab anno 1578. usque ad annum 1645. à Magistratibus hoc applicatum dabunt; nec omnibus mensis in Belgio ab anno 1645. usque in hunc diem.

Atque hætenus excussione pseudographematis usurarii, turpissimæ causæ nervos incisos esse facile perspicient omnes, quotquot à ventre artis magistro, aut glaucomate à mensariis objecto, aut à superbâ pertinaciâ, ne videantur errasse, non impediuntur. Idiotæ aut rudiores, planiorem & plenior omnium explicationem & diductionem habebant in scriptis vernaculis, studiosi & literati in scriptis Latinis supra, & in 1. *part. polit. eccles. lib. 2. tr. 2. sect. 4. cap. 3. pag. 779 - 788.* indicatis. Ubi denuo perversum statum controversiæ, & novissimè proposita effugia atque exceptiones trapeziticas, refuto. Confer infra appendicem ad disp. de Restitutione.

DE RESTITUTIONE.

Resp. PETRO ARLEBAUTIO, Bomelâ-Gelro 15. Octob. 1659.

De restitutione acturus querelam præmitto Johannis Hofmeisteri Theologi Pontificii, quam effundit in Commentar. ad Luca 19. „O bone Zachæe, tu „in multorum ore versaris & quasi populi facta es tabula. At quotus- „quisque est, qui tua velit sequi vestigia? Omnes sumus Evangelici, „sumus Christiani, & nescio quid non. Sed qui animum inducat, „quæ fraude cepit justè velle restituere, hic rarus auditur. Quod ille de „suis, hoc nos de nostris pariter conqueri debemus: apud quos hujus virtutis & justitiæ tam rara, tam labesactata praxis; ut & populi ignorantia, & multorum doctorum contractior & parciore doctrina hinc secuta sit. Utinam neglectam aut depravatam praxin tandem veritatis abnegatio & oppugnatio (uti sæpe in talibus fieri solet) non excipiat! Oides & multiplicatus, & nemo repente factus est pessimus. Quo magis annitendum gymnasiis nostris, ut hanc aliasque materias practicas, ex prelectionibus publicis, & privatis examinatoriis collegiis super Amessii casibus, perpetuo hic habendus, quam

quam fieri potest accuratissimè imprimant, ad dextram sui, aliorumque curæ ipsorum pastoralis aliquando committendorum, informationem. Nos in præsentis de restitutione acturi.

1. Præcognita explicabimus.
11. Quæstiones aliquot determinabimus.



Ræcognoscenda sunt nomen, definitio & requisita, di. §. 1. visio. Vox *restitutionis* duo dicit, reddere scil. exhibere, præbere; & rem in pristinum statum reducere: ut perinde sit ac si nihil adversus eam evenisset. Variè autem hæc vox accipitur: quandoque enim latè sumta notat quamcunque cujusque rei, ordinis, status instaurationem, seu repositionem & constitutionem in pristinum statum: quomodo quis in bona sua postliminio restitui, in munus & dignitatem priorem restitui, immo & homo sibi ipsi & menti suæ, vires corporis in medicinâ, & collapsa respublica ejusque libertas & potestas apud Politicos restitui dicitur. Aliquando quamcunque restitutionem, sive ex justitiâ obligante, sive ex caritate donante & auxiliante. Aliquando actum quemcunque justitiæ commutativæ, quo debitum quodcunque redditur, sive illud debeatur ex honestate, sive ex rigore justitiæ. Et sic sub se comprehendit gratitudinem, satisfactionem, solutionem, restitutionem strictè dictam: quæ quomodo differant, ex subjectis descriptionibus patefcet. *Gratitudo* est officii aut beneficii ab aliquo accepti, ingenua agnitio, & datâ occasione ejusdem pro viribus per beneficia & officia vicissim præstita compensatio. *Satisfactio* latius patet, quam restitutio strictè dicta: quæ præstatur sive res aliena detenta aut damnum datum fuerit, sive non fuerit. Sic e. gr. præstatur satisfactio alicui contumeliis affecto; quamvis nullum inde damnum secutum sit. *Solutio* etiam latius patet; quia solvitur non tantum debitum ex damno illato aut detentione rei alienæ contractum, sed etiam quod ex voto, juramento, caritate, misericordiâ debitum est. *Restitutio* strictè sumta consideratur vel in foro soli, vel in foro poli. *Prior* est, quæ alicui causæ, rei, personæ ad postulatum aut imperium aliorum obtingit. Sic restitui in integrum dicuntur causæ, de quibus ex integro cognoscitur: item restitui in integrum tutelæ ac curationes, cum administrationis earum rationes redduntur. Dicuntur & restitui personæ, quæ in bona, aut in dignitates, aut in civitatem restituuntur, ut deportati & damnati. Sed de his verborum significationibus, οἱ νομικοὶ ἢ δικαιογύνται πᾶνδε ulterius despiciant. Quæstiones Canonistarum ad titulum de *Restitutione in integrum* (quem *Lancelotus* fecit 18. lib. 3. *Institut.*), & ad tit. 13. lib. 3. *decretal.*

de Restitutione spoliatorum; nec non ad sess. 15. Concil. Tridentin. cap. 19. cum hujus loci non sint, aut tanquam ineptas aut inutiles præterimus, aut si quæ usum quem habeant, ad Politicam ecclesiasticam ablegamus. Describitur ergò Restitutio strictè dicta, & in foro poli considerata, quod sit *actus iustitiæ commutativa*, quo redditur alteri ad aequalitatem, quod injustè ab eo sublatum est. Vel sic, quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur ei, cui debetur.

S.2. In definitionis hujus enucleatione consideranda genus & differentia. Genus exprimitur istis verbis, *actus iustitiæ commutativa*. Quid sit iustitia commutativa, ex Ethicis & Theologis notum est; & hic præsupponitur. Differentia, constat objecto & adjecto. *Objectum* est cujus, & cui. *Illud* est res accepta, aut damnum datum. *Istud* est persona, aut personæ, cui aut quibus debetur. *Adjectum* seu actus circa illa objecta est restituere aut compensare. Ubi notatur & connotatur tum subjectum seu causa restituens, tum actus restituendi aut compensandi. Hæc omnia liquidiora erunt, si in conditiones & requisita restitutionis inquiramus: Quis, quid, cui, quomodo, quo ordine, ubi, quo tempore, restituere debeat.

1. *Ad questionem quis*, respondeo, Non tantum is, qui rem accepit, aut damnum dedit, sed etiam quicumque hujus injustitiæ particeps fuit. Quot modis autem particeps fieri possit, his versiculis memorialibus vulgò includunt:

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, nutans, non obstans, non manifestans.*

Qui novem modi à Caluistis Pontificiis communiter explicantur, & compendio ex maximè celebribus & frequentatis à Basseo. Sed non incommode ad sex revocantur ab Amesio lib. 5. Cas. cap. 4. (ubi eos explicatos vide): & lib. 2. Medulla cap. 16. §. 45. ad quinque, suasionem, defensionem, auxilium, permissionem cum possumus impedire, silentium cum utiliter possumus indicare.

II. *Ad quæst. Quid. Resp.* Idem quod injustè ablatum est. Cum dico *idem*, intelligo idem vel numericè in essentiâ, qualitate, quantitate: vel æquivalenter, aut saltem per talem compensationem, quæ fieri potest. Cum dico *injustè ablatum*, sive bonum externum corporis & fortunæ, sive spirituale; præsuppono nullam esse strictè acceptam restitutionem, ubi non præcessit injustitia & injuria: quæ quid & quoduplex sit, alibi explicatur. Ex solo ergo delicto contra iustitiam nascitur obligatio restituendi; non vero contra alias virtutes: quia per violationem iustitiæ aufertur alienum, quod unicuique ex iustitiâ & ad aequalitatem debetur.

III. *Ad quæst. Cui. Resp.* Ipse illi cui quid ablatum, aut damnum illatum:

tum: si ille non existat, aut inveniri nequeat, legitimo ejus hæredi & vindici: & si tales inveniri nequeant, Deo, ad pauperum sustentationem alioque pios usus. Quod ex *Numer. 5. v. 8.* colligi posse videtur. Quod si non fuerit viro illi vindex, ut restituat delictum ei, delictum restituitur Jehova: sacerdotis erit. Sed tertius restitutionis modus locum non habet, ubi ipse damno affectus, aut ejus hæredes inveniri queunt.

IV. *Ad quæst. Quomodo. Resp.* Ut si commodè restitutionem exequi nequit, nisi se prodât, per alium quem hominem fidelem eam curet: debet enim restituens cavere famæ & vitæ suæ. Adhæc, ut si possibile sit, tota simul, non per partes; quando scilicet debetur ex delicto, aut ex re acceptâ: in debito ex contractu, facienda est juxta pactum contrahentium. Denique ut debita occulta occultè, publica vero publicè ad tollendum scandalum restituantur.

V. *Ad quæst. Quo ordine. Resp.* Respicitur ordo vel restituentium, vel eorum quibus restituitur. Si prius, primo & principaliter tenetur, qui immediatè abstulit aut damnum dedit. Inter cooperantes vero & participes, primò & principaliter tenetur, qui præcepit ablationem aut damnum; si quidem auctoritatem habuerit in illum, cui delictum præcepit. Sin postèrius, cum quis omnibus restituendis non sufficit, debita certa quæ propriis creditoribus restitui possunt, præferenda sunt incertis; debita pauperibus debitis divitum; res & bona, quæ adhuc sunt penes debitorem, & quorum dominium nondum translatus est, &c. De præferendis creditoribus hypothecariis, & inter personales privilegiatis, hæredibus legatariis, &c. nec non prioribus tempore, cum septem exceptionibus minutim cum & ex Jureconsultis agunt Casuistæ Pontificii. Nos supervacaneum ducimus Theologicas chartas iis onerare: cum proclive sit in Jureconsultis, aut potius in particularibus regnorum, provinciarum, civitatum statutis ea legere.

VI. *Ad quæst. Ubi, & cuius expensis sit restituendum. Resp.* Eo loco, ubi dominus illam possessurus erat: si ablata non fuisset: quando scilicet debitum ortum est, ex injustâ acceptione. Hic tamen deduci debent expensæ, quas creditor rem illam servando vel deferendo facere debuisset. Excipitur tamen casus, quo rem transferendo in locum domini multò majores expensas factururus esses, quam res restituenda valeat. Quando vero obligatio restitutionis nascitur ex bonâ fide accepta, restitutio fiat in loco, ubi res habetur tunc temporis, quo cognoscitur esse aliena. Limitationes & exceptiones, quæ hic incidere possent, vide apud Casuistas.

VII. *Ad quæst. Quando. Resp.* Statim ac potest, restituere debet, qui obligatus est ratione rei acceptæ, aut injustæ acceptionis, aut detentio-

nis. Quamdiu enim non restituit, cum debet & potest restituere, continuat, multiplicat, & aggravat peccatum injustitiæ: quia suum cuique non tribuit.

- S. 3. Dividitur restitutio ex objectis suis in primariam, quæ oritur ex injusta acceptione seu ex damno illato: & in secundariam quæ oritur ex re sive iuste sive injuste acceptâ. Nonnulli ex Pontificiis Casuistis (inter quos Bonacina) addunt tertiam speciem, quæ est ex contractu. Sed illa non est restitutio strictè dicta, quam nos supra definivimus. *Prior* species subdividitur secundum objecta in quibus damnum inferri potest. Sunt autem illa bona animi, corporis, fortunæ. *Animi* sunt tum naturalia, ut ingenium, memoria; tum supernaturalia, quæ ad fidem & caritatem, seu ad virtutem religionis & iustitiæ revocari possunt, quibus repugnant errores, & peccata; ad quæ si quis quem induxerit, tenetur ad restitutionem. *Corporis* sunt vita, sanitas: quibus opponuntur, homicidia, membrorum mutilationes, & quæcunque læsiones sanitatis. *Fortuna* sunt tum fama & honor, tum externa bona ad animalis vitæ sustentationem pertinentia. Fama læditur per detractiorem seu infamationem: honor per contumeliam, convitium, improprium, irrisiorem. In bonis externis injuria inferitur per quodcunque factum, sive crassum sive palliatum. Bonum pudicitie & castitatis, ad bona animi, corporis, fortunæ quodammodo referri potest. *Posterior* restitutio; pro objecto habet rem, non quidem injuste domino ereptam aut ablatam, sed cum penes me quæcunque ratione existere eam contigerit, injuste detentam & non redditam ei cui debetur; ut e. gr. aliquid alteri legatum, aut venditum. Qui enim habet rem alterius, etiam si nullam injuriam intulerit, non habet suum, & legitimus dominus suo caret: ut ergo fiat æqualitas iustitiæ, quæ suum cuique tribuit, domino id suum est restituendum.

His præmissis restitutionem per quæstiones explicemus. Erunt autem quæstiones trium generum 1. proëmiales. 2. de restitutione in generali 3. de restitutione in particulari. Sit ergo.

I. *Quæst. An de restitutione agendum sit theologis. Resp.* Aff. quatenus ad casus conscientie, & ad rectam ex jure divino & naturali informationem hoc pertinet. Quid sit de foro externo & jure civili, quid de statutis & moribus in antiquo imperio Romano, aut in hodiernis regnis, & politiis Christianorum, Gentilium, Muhammeditarum, historicè, philosophicè, theologicè, politicè, quid scilicet hæc aut illa Respublica tali rerum statu ferre aut non ferre possit, examinent quibus vacat. Nos proprie ad conscientiam cujusque hominis loquemur & determinabimus, ut discant quid in foro poli ipsi vi juris divini præstandum sit, & quodnam injustitiæ peccatum in

in omissione hujus officii agnoscendum. Breviter theologi hoc agunt, ut quis *ἀποδοῦναι* coram Deo & hominibus conscientiam conserveat *Ast.* 16. v. 24. Quocirca commendandi sunt theologi Pontificii, quod in corruptæ theologiæ suæ tractatione hoc caput inter alia, immo supra multa alia sibi curæ esse voluerint. Adeo ut ipsis applicari possit illud Bellarmini de Calvino, *utinam sic semper errassent?* Generalem materiam & methodum intelligo, non vero omnes & singulas particulares determinationes. Interim non puduit recentiores Casuistas nostros *Baldunum lib. 4. cap. 4. cas. 8. & Amesium lib. 5. cap. 4.* sua aliqua, si non quamplurima ex illis derivalle. Pontificios scriptores, qui forte nimis operose hoc egerunt, si quis lustrare aut conferre velit, indico Thomam cum commentatoribus 22. qu. 62. Lombardum cum suis *lib. 4. Becani Theolog. Scholast. paris 2. partem 3. quest. 72.* Scriptores de Justitia & jure, Soto, Bannes, Molinam, Lessium; Casuistas, inprimis Azorium, deinde & Dianam, Navarrum, Bonacinam, Basseum, Toletum, de Graffiis, Reginaldum. Ad hæc tractatus peculiare, ut Adriani Trajectini, postea Papæ, in quaest. ad 4. Lombardi, & prolixissimum tract. Petri de Navarra duobus tom. in 4. Ex nostris præter modo cit. jam ante materiam hanc attigerant *Brentius homil. 28. in Lucam Musculus in locis comm. ad 8. præc.* Zepperus in legibus Mosaicis *lib. 4. cap. 24.* (quem laudat *Danhauwerus in collegio decalog. 17. S. 111.*) *Meißnerus in quest. Ethicis & politicis pag. 290. Pruknerus in Manuali mille questionum pag. 108. 134. & seqq. & 157. & seqq.* Fatendum tamen ingenuè, multos ex nostris hanc doctrinam expresse, in actu (uti loquuntur) signato, & sub hoc titulo non pertractasse: cum tamen ob universalem plebtorumque hominum in hoc justitiæ officio præstando defectum (de quo merito & graviter ante nos conquestus est Balduinus loc. cit.) per quam frequenter, exsertè & plenè eadem inculcari atque applicari deberet.

II. *Quest. Ad quem locum theologia hæc tractatio referenda sit?* *Resp.* Quamvis, si modo justa rei tractatio habeatur, de ordine ipsi assignando parum laboremus: videtur tamen de restitutione in genere commodè agi posse ubi de justitiâ erga proximum, cujus actus & pars est. De justitiâ adæquatè ad nullum secundæ tabulæ præceptum agi potest: ita ut ex lege methodi inter generalia secundæ tabulæ prolegomena titulis de caritate erga proximum, deque justitiâ, & prudentia directrice virtutum moralium locus videatur concedendus. Quod ad restitutionem in specie ut sanitatis, vitæ, pudicitæ, bonorum temporalium, famæ & honoris; de eâ convenienter ad specialia cujusque præcepta quæri possit; aut ibidem collectim ubi de restitutione in genere, ne cohærentes illi conceptus divellantur.

III. *Quaest. An præceptum restitutionis sit affirmativum an verò negativum?*
Resp. Aff. pr. Quia præcipitur actus positivus. Sed præceptum negativum præcipit abstinentiam ab aliquo actu positivo. Et quamvis aliquando videatur fieri restitutio solâ cessatione detinendi, ut cum quis deserit damnum vel agrum injustè à se occupatum; terminus tamen cessationis est positivus, quia eo tendit, ut legitimus dominus rem suam consequatur, & sic fiat æqualitas.

IV. *Quaest. An etiam sit actus iustitiæ distributivæ.* *Resp.* cum Thoma, 22. qu. 62. art. 1. Hadriano, Navarro, aliisque recentioribus Casuistis: Quamvis restituere teneatur, qui in bello præmia & spolia injustè distribuit, & iudex qui injustè delicta punit, benefacta præmiis afficit, aliisque in casibus similiter; hoc tamen non sit præcisè propter violationem iustitiæ distributivæ, sed quia unà violata fuit iustitia commutativa.

§.4. Accedamus ad quæstiones de naturâ restitutionis in genere: inter quas principalis.

I. *Quaest. An sit necessaria?* *Resp.* Communiter pontificii hæresen scriptores & nonnulli Casuistæ, fide Guidonis Carmelitæ, Græcis hanc opinionem attribuunt, quod restitutio non sit necessaria; sed sufficiat pro furto & rapinâ aliquam summam ex rapto pauperibus impendi. Alphonsus à Castro lib. 13. adv. hæreses sic refert: *Guido Carmelita ait Græcorum sacerdotes pro furtis, usurâ, rapinâ non injungere ut satisfaciant aut reddant, sed oleo simplici inungere raptorem, quem adstringunt ut aliquam pecuniæ portionem illis distribuât, ut absolutionem illi impendant: quam pecuniâ à fure aut raptore recipientes, ipsum raptorem absolvunt.* Joh. Sarranus Cracoviensis Ecclesiæ Canonicus in Elucidario errorum ritus Ruthenici ann. 1500. edito, & ann. 1582. in tract. Joh. Lasicii de religione Russorum, Muscovitarum, &c. recuso, artic. 32. sic opinionem eorum describit. *Dicunt furi sufficere ratione furti sui, raptum sacerdotibus representari, & fateri crimen, & petere olei unctionem ab eis: nulla tamen posthac pecuniâ & restitutionis debito debere onerari.* Quid hodierni Græci, Russi, Muscovitæ sentiant, certo Affirmare nequeo. Erasmus in annotationibus ad Luc. 11. in quatuor primis editionibus, videbatur nullam agnoscere restitutionem. Sed in quintâ editione suâ emendavit, aut explicuit: quod etiam agnoscit Alphons. à Castro loc. cit. Ex Theologis nostris neminem receptæ sententiæ repugnare arbitror. Sed errorem nostrorum hominum popularem, plerorumque practicum, multorum etiam theoricum, saltem apud minimè malos crassam ignorantiam, aut inconsiderationem dominari, nemo facile negabit. Firmemus ergo sententiam affirmantem seqq. rationibus.

I. *Rat.* Quia *Ezech.* 33. *vers.* 15. 16. ad respicientiam & iustitiam pertinere dicitur redditio pignoris, & solutio rapti.

II. *Rat.* Quia ex virtute iustitiæ suum cuique tribuentis sequitur restitutio. Qui enim alienum non reddit, suum cuique non tribuit; sed de malè quæsitis gaudere pergit. *Atqui contra naturam est locupletari cum aliorum injuria*: uti conformiter & juri divino & naturali loquuntur Jureconsulti.

III. *Rat.* Quia ex immoto illo juris divini *Matth.* 7. v. 12. & naturalis principio, *Quod tibi fieri non vis, &c.*) restitutio educitur.

IV. *Rat.* Quia repugnat caritati erga proximum *Matth.* 22. v. 39. debere quid & non solvere *Rom.* 13. v. 7. 8. *Reddite igitur unicuique quod debetis, &c. Nemini quidquam debete, &c.*

V. *Rat.* Ab exemplo respicientiæ Zachæi à Christo approbatæ *Luc.* 19. v. 8. 9. atqui illa non erat sine injuriæ seu injustitiæ antea actæ emendatione per restitutionem. Sic Abimelech justè restituebat uxorem alienam *Gen.* 20. 14. Herodes injustè retinebat *Matth.* 14. v. 4.

VI. *Rat.* Non solutio debiti ex mutuo, signum est hominis improbi *Ps.* 37. v. 21. sic pari ratione non restitutio ablati.

VII. *Rat.* Quia ex non restitutione rectè colligitur non respicientia. Qui enim verè respiscit, desinit peccare, seu abruptit peccatum: atqui non restituens continuat peccatum furti, rapinæ, injuriæ, quamdiu injuste raptum injustè retinet.

VIII. *Rat.* Quia sicuti qui proximo non remittit offensam, non potest certus esse sibi à Deo remissa esse peccata: *Matth.* 6. v. 12. 15. sic qui non restituit, &c. Hanc & præcedentem rationem sic exprimit *Augustinus* celebrato illo dicto in epist. 54. quæ est ad Macedonium: *Pessimus genus hominum est, quod sceleris pœnam relaxari, & id, propter quod scelus admissum est, possidere cupit; cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur; non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Hoc dictum juri canonico *cap. peccatum de regu. juris in 6.* insertum est; ex eodem plerique canonistæ Scholastici, Casuistæ occasionem sumserunt de restitutione determinandi.

IX. *Rat.* Quam ex nostris *Zepperus* loc. cit. adducit ex *Eph.* 4. v. 28. *Cum, inquit, beneficentiam in pauperes exposcit, restitutionem iniustiarum opum simul requirit.*

II. *Quæst.* An restitutio sit necessaria necessitate præcepti tantum, an etiam mediæ? *Resp. Aff.* Poster. cum distinctione inter ipsam externam restitutionem, & inter solam internam, quæ est paratus animus, promissio, & studium restituendi. Ista semper & absolute est necessaria: illa non

non itidem : haut aliter ac virtus eleēmosinæ omnibus est necessaria , etiam pauperrimis , qui ne teruntium quidem largiri possunt. Unde nascitur quæstio.

III. *Quæst. Quibus in casibus ab externa restitutione quis excusetur?* Resp. 1. Cum debitor planè impotens est. Ad impossibile enim nemo obligatur. 2. Cum libera fit debiti remissio : quæ est vel expressa , vel tacita , virtualis , implicita , interpretativa. Est autem talis , cum ex moraliter certis , aut saltem probabilibus indiciis colligitur , damno affectum nolle sibi à tali aut tali restitui. 3. Cum majus incommodum aut damnum , quam emolumentum ex illà restitutione oriretur ei , cui restituitur. Tunc saltem differenda est restitutio. 4. Cum æquivalens commodum , sed ex justitiâ commutativa indebitum , creditori à te collatum aut curatum est. Hoc ergo sit loco compensationis.

Appendix aliquot questionum specialium 1666.

S. 1. **R**estitutionis officium evidentissimè spectatur , in explicatione 8. præcepti.

Quæritur ergo 1. *An etiam restituendum sit ñ interesse alterius , si suum habuisset ?* Resp. Quidni e. gr. injustè abstulit quis naviculario aut portitor ; schapham , aurigæ traham aut equum , fabro instrumenta fabrilia : Hæc à fure pœnitentiâ ducto post dies aliquot restitui non sufficit : nisi & panem , quem damno affectus sibi & suis lucraturus fuisset , ex æquo & bono restituat. Sicuti qui operarium vulneravit , non tantum expensas curationis ferre sed & damnum vacationis ab opere & labore , quo victum acquirere solet , compensare tenetur. Huc recidit determinatio *Toleti lib. 6. Instruct. cap. 12.* & ex ac cum eo *Prukneri in Manuali 1000. quæst. centur. 5. qu. 95.* quâ ad restitutionem obligatur qui contra justitiam vi aut fraude impeditur , e. gr. negotiatores vi detinens , aut fraude beneficiarium retrahens , ne compareat apud benefactorem.

2. *Quæst. An furto ablatum restituere tenetur , qui justè metuit , hinc fame habetenus integræ lationem , & pœnas à judice infligendas ?* Resp. Posset per alium quem fidelem amicum , cui sub fide silentii lapsum suum aperiat , restitutionem curare : ut damno affectus ignoret , à quo ablatum sit , & fiat restitutio. Vel quod longè tutius , posset nocte intempestâ res mobilis in arçâ , in horto , in tecto , in propylæo , aut ante fores deponi , additâ scedulâ , hoc esse τὸ Δείν , ab aliquo clam ablatum. Si ipsa res ablata restitui nequeat ; æquivalent summa pecuniæ eodem modo , cum tali indicio addito , deponi posset : aut etiam vesperi per apertum ostium aut fenestram in domum injici.

3. *Quæst.*

3. *Quæst.* An quæ bello, quamvis solemniter suscepto, hostibus ablata sunt, restitui debeant? *Resp. Aff.* De bello injusto: & ad hoc teneri autores belli, suafores, imperantes, duces, auxiliares, etiam eos, qui rem bello injustè ab alio captam penes se habet: quamvis ipse damnum non dederit, aut sine omni culpâ dederit. Et ratio est, quia cur alter eâ carere debeat nulla causa subest naturaliter iusta, non consensus ipsius, non malum meritum, non compensatio. Sic rectè *Grotius lib. 3. de Jure pacis & belli cap. 10.* *Caspar Zieglerus J. C. Witebergensis in notis & animadvers.* ad *Grotii* locum citatum, adhuc strictius determinat. „Immo, inquit, etiam eo casu, quando insolitum istud in specie non jusserunt, sed ausam tantum dederunt injustum „bellum decernendo, aut justum injustè gerendo. Qui enim rei illicitæ o- „peram dat, causa est eorum omnium, quæ vel directè vel indirectè inde sequuntur. Qui ibidem ad illud *Grotii* de restitutione faciendâ etiam ab illo qui damnum non dederit, sed qui rem bello injustè captam penes se habet, elegantem locum exhibet ex *Chrysostomi homil. 16. in 1 Corinth.*, quem hic non pigebit reponere: „Si alio, inquit *Chrysost.*, rapiente rapta acci- „peres, deinde qui sua amisit & vim passus est, ea à te reposceret: num satis tibi esset, ad excusationem, te ab eo nihil rapuisse? Minime. Quidnam „diceret in judicium vocatus? dic, quæso. Num? quod alius diripuerit. Verum tu possides: ille rapuit, tu frueris. Eundem hic locum laudat & Græcè exhibet *Rittershusius lib. 3. lect. sacr. cap. 1.* disquiri posset de illis privatis civibus & incolis, qui bello exorto sive justo sive injusto, ilico exercent pyrraticam illam (nostratibus dictam *Vaepen*, & per antiphrasim *de regne Peringh*) tanquam liberam & justam negotiationem. Et dato eos certos esse, bellum esse justum ab illâ parte, sub cujus autoritate, permissione, concessione, indulto pyrraticam exercent. An hoc sine omni scrupulo se agere putant? Certè temperamentum illud, quod in bello circa occisionem, vastationem, res captas, captivos, libertatem ad emtionem, & imperii, acquisitionem servandum docet jus divinum & naturale (de quo *Grotius lib. 3. cap. 11. 17.*), quomodo vel minimâ specie hic adhibetur, aut adhiberi potest? Ut non dicam, bona sæpe eripi concivibus, amicis, ejusdem religionis consortibus, bellum illud detestantibus, & super eo gementibus, heri aut nudius tertius in potestatem hostium redactis. Saltem privati cives ab hac negotiatione abstinendo, non peccant nec scrupulis conscientiam onerant. Nihil etiam dubitante conscientia faciendum: nec abundans cautela nocet. Obversetur hic dictum illud: *Bonarum mentium est etiam ibi culpam timere, ubi culpa non est.*

4. *Quæst.* Anqui sacrilegium aut peculatum commisit, sive auferendo ex Republica, aut ecclesia, aut pauperum ararii; sive non inferendo in illud, quod

inferre debebat (Malach. 3. v. 8. 9.) *teneatur ad restitutionem*? *Resp.* Omnino: sic tamen ut cautè & prudenter agat si ipsi ærario subtracta restituat, ne intempestiva suiipsum proditiōe tamæ, libertatis, vitæ, fortunarum jacturam sibi accersat. Quod si eo modo, quo supra *quæst.* 2. dictum ipsi ærario restituere nequeat, (ut quidem arbitror eum posse) nihil aliud ei suadere possem, quam ut tantum conferat in pauperes, ecclesias, aliasque pias causas, quantum scit injustè à se ablatum aut retentum fuisse. Quod autem hic dico de restitutione rerum quæ sacrilegio aut peculatu parta sunt, id etiam de omnibus aliis injustè partis intelligendum est. 1. *sive* per furtum simplex sive per complicatum; 2. *sive* per apertum & crassum, quale *παραρῥῆων*, abactorum, pyratarum, latrunculorum; omnium etiam eorum, qui talium lusceptores, proxenetæ, auxiliares sunt. 3. *Sive* per furtum magis palliatum; quale injusti belli titulo aliena rapientium, Simoniacorum, *δωροφάγων*, foeneratorum, monetæ corruptorum, merces adulterantium, annonam flagellantium, monopolarum, adulterinis mensuris fraudantium, fallitorum, vindicantium sibi bona naufragantium. 4. *Sive* per perjuriam, falsa testimonia, fraudulentos contractus, falsificationes instrumentorum, infida aut injusta in foro patrocina. 5. *Sive* per illicitas aut nefarias artes ac pragmatias: quales lenonium, meretricium, histrionia, magia operatrix & divinatrix (*Actor.* 16. v. 19.), Exorcistica (*Actor.* 19. v. 13.), alea, proditio (*Math.* 27. v. 13.), procuratio & sollicitatio veniæ homicidis concedendæ, missarum celebratio, indulgentiarum concessio & venditio, omnisque alia animarum negotiatio, *Apocal.* 18. v. 13. emptio & venditio quoruncunque servorum injustissimè captorum & ad servitutem redactorum, qualis Josephi *Genes.* 32. v. 27. Supra in disp. de foro poli notavimus perversam Casuisticam Navarri, Zypæi, &c. de meretricibus ad restitutionem non obligatis.

5. *Quæst.* An ubi damnum passi, aut ipsorum heredes inveniri possunt, illis præteritis, injustè sive per nos sive per parentes nostros parta, retinere ac possidere, iisdemque in domino & serenâ conscientia frui possimus: modo sanctis, aut pauperibus aut clericis tum regularibus tum secularibus partem prædæ inde impartiamur, aut eos hinc excessuri heredes scribamur, aut saltem pingue aliquod legatum assignemus? *Resp.* Neg. Musculus loco cit. dicit hanc seductionem regnasse in confessionibus auricularibus: ubi conscientias peccatorum falsæ satisfactionis, & remissionis fiduciâ deceperunt, vel ineluctabili occasione & morfu immisso cruciârunt, & ad desperationem adegerunt. Etenim ipsa hoc docet naturalis æquitas, rem furto ablatam non esse aliud quam ad dominum illius transferendam: cujus sensus vinci non potest, ne indulgentiis quidem Romano plumbo obsegnatis.

Paulo ante dixerat : *prorsus seductores conscientiarum sunt & impostores, qui remissionem peccati pollicentur, si de rapinâ, furto, & usuris aliquid ipsis detur pro missis celebrandis, ut loquuntur, & aliquid pauperibus.*

Ibidem pag. 242. exemplo aliquo docet restitutionis fructum. Cum, inquit, anno 1531. recens Augustam, illò ad prædicandum Christi servatoris nostri Evangelium vocatus venissem, veniebat ad me subinde juvenis quidam annos circiter 24. plus minus natus, conscientia suâ, quam habeat desperatissimam, revelationem quærens, causa erat anxietatis, qua discruciabatur, quòd massam argenti puer adhuc hero suo furtim abstulisset. Hanc integram adhuc habebat. Inter confitendum sub Papatu jussus erat partem dare missatoribus, partem pauperibus. Id non fecerat, quia ad conscientia laborantis refocillationem veram ac certam non faciebat. Domino suo non restituerat, pudore impeditus. Ubi causam perturbatæ conscientia intellexi, urxi hominem, ut ablatum hero suo restitueret, nisi perire vellet. Ostendi viam qua commodè posset. Obtemperavit, restituit coram, utrinque illachrimantibus & ipso & hero, qui furti illius prorsus fuerat ignarus, & omnem juveni resipiscenti benevolentiam promittebat. Post hanc restitutionem afflictissimus juvenis, qui aliquandiu propter speciem insaniam, catenis detentus fuerat, sibi que ipsi necem intentaverat, felicissimè non modò cum hæro suo rediit in gratiam, sed & sibi ipsi restitutus, honestè vivere cœpit. Hanc historiam mihi omnium comperitissimam, ideo volui adferre in medium, ut exemplo aliquo demonstrem, quantam carnificinam conscientiarum instituerint Romanæ Synagoge quæstuarii & nundinatores, furum, raptorum & usurariorum socii : & quàm possit æquitatis & justitiæ studium efficax esse ad pacandas resipiscentium conscientias, si ad restitutionem rerum alienarum instituantur.

6. *Quæst. An restitutio facienda sit eorum, quæ quis per pyratricam Aligeriensem, aut Tunetanam, aut Tripolitanam sibi acquisivit, aut à parentibus acquisita iure hereditario nunc possidet ? Resp. Aff. Siquidem pyratrica illa non est justus acquirendi modus. Quod applicari volo, tum fociis navalibus & militibus, qui naves quascunque in mari expugnant, & cum mercibus, & vectoribus rapiunt : tum civibus & mercatoribus Aligeriensibus, qui suis sumtibus naves illas instruunt, & ad pyratricam emittunt. Sed forte quis excipiat.*

1. *Except. Se in ignorantia suâ Muhammedicæ perfidia tunc additum, hanc pyratricam exercuisse; quippe persuasum licitè Christianos, qui non sint Muslimi, id est, servari, hoc est, fideles, spoliari posse : nunc autem conscientia in Christianismo melius instructa, se ab illâ pragmatia abstinere.*

Resp. conscientia errans, à peccato injustitiæ, & consequenter à restitutione non liberat. Apostolus 1 *Timoth.* 1. v. 13. se maximum peccatorem fatetur, quamvis ignorans fecisset. Joh. 16. v. 3. *quicumque vos occiderit, putabit se lætari*, &c. Similiter excipere posset Judæus ad fidem conversus, se in Judailmo secundum conscientiam errantem, Christianis (quos *Gojim*, id est, Gentiles appellant) scœnore, fraudibus, & quocunque alio modo damnum intulisse, juxta legem *Deuter.* 23. v. 21. malè tunc sic intellectam, & huc applicatam. Quod si inter dictos Christianos, sacerdotes ad veram religionem conversi, ab omni restitutione eorum, quæ missis, præsertim defunctorum, celebrandis antehac lucrati essent. *Instantia*: Atqui si reformatus aut saltem Apapista, induro titulo & simulacro sacerdotis seu vicarii, sacerdotis ammarum, ab omni missarum celebratione abstineret, & solummodo vi hujus tituli ac simulati seu nuncupati muneris pretium illud, quod prædecessoribus ipsius, vicariis Papisticis pro missis defunctorum persolvi solet, acciperet: an non tunc legitimus, & plane reformatus acquirendi modus esset? *Resp.* Casus hujus explicatio peti potest ex iis, quæ 3. part. *sel. disp. tit. de idololatriâ & superstitione*, & 1. part. *polit. eccles. lib. 4. tract. 1.* abunde dissertata sunt.

2. *Except.* Magistratus pyriticam illam non tantum permittit; sed & ordinat, eique modum ponit, immo eandem ipse exercet, probat, imperat, merces raptas, & homines, in foro, sub autoritate suâ, publicè vendi concedit; quin & vectigal suum ex venditione colligit. Ergo volente prætore, qui possidet, justè possidet: Et quidquid venditur in macello, &c. 1 *Cor.* 10. *Resp.* Sit ita: eo tamen ex peccato nequit facere non-peccatum; ut nec Papa, nec Magistratus quicumque Christianus, aut reformatus.

3. *Except.* νόμος ἢ χάρις, hic faciunt legitimum? *Resp.* Distingue inter legitimum & justum in foro poli, & in foro soli. De quo supra in disp. de Foro poli, &c. Hujus distinctionis ignorantia aut neglectu Salmasium tenebras illas disquisitione de scœnore offunderem & seipsum confundere vidimus. Quod idem dicendum de alterius distinctione ignota inter mali permissi ordinationem, circumscriptionem, limitationem, & inter mali approbationem, suasionem, mandatum, ut legibus permissivis quæ aliquem modum adducunt & imponunt, τὰ νόμιμα etiam δίκαια haberi debere contenderet de scœnore trapezitico pag. 351. Quem crassum errorem merito in illo notavit eruditissimus Zieglerus in notis & animadvers. ad Grotii lib. 1. de Jure Pacis & belli cap. 1. pag. 66. „Qui ibidem accurate docet, in ejusmodi legibus circumscriptivis duos contineri actus, nudam scil. permissionem (quæ actio non est, sed improprie actio dicitur), quæ objectum immedia- tum habet malum ipsum, quod nec præcipit nec prohibet legislator, sed per-

permittit, &c. & ipsam circumscriptionem, limitationem & modificationem istius mali, ne ulterius quam vult, aut alio modo, quam certo illo & determinato exerceatur. Neuter actus probat aut suadet malum, neuter id in foro poli seu conscientiae licitum facit, sed impuritatem tantum praestat, sicubi intra terminos definitos manserit malum. Supra exemplis ostenderat Magistratus Christiani passim tolerantis *synagogas Iudaeorum, superstitiones Pontificias, & eiusmodi alia, qui tamen propterea malum non procurant: sed permittunt, quia tollere sine Reipublicae concussionem non possunt.* Sed ipse lector laudati modo auctoris integrum locum legat, relegat; & alterum ad lib. 1. cap. 2. pag. 92. ubi notat *Salmasium in explicatione Math. 5.* adhuc crassius Grotio, qui Socino hic & alibi non ita alienus, philosophari.

4. *Except.* Si restitutio hic requiratur, & pyratice illa negotiatio iniustitiae arguatur in foro conscientiae: jam indirectè tangitur π interesse Reipublicae Aligeriensis, & ordinatio atque autoritas Magistratus: Et sic crimen rebellionis, & turbatae pacis publicae committitur. *Resp.* Hoc est per accidens: informanda est conscientia, de restitutione. Eodem colore, & eadem consequentiâ, gravare quis posset reformatum, qui e. gr. fratrem, aut patrem, aut filium, aut cognatum Papistam, in dioecesi Colonienfi, aut in ducatu Bavarico, aut in Galliâ habitantem, ex verbo Dei orthodoxâ religione imbueret: Papalem idololatriam & Antichristianismum detegeret: dicendo, hoc incurrit in publicum bonum, in auctoritatem & existimationem regum aut principum, qui Papatum probant, profitentur, defendunt tanquam *κύλον ἰδρυαίου*, animam, fundamentum suae Reipublicae.

5. *Except.* Non teneor ad restitutionem ejus, quod numeratâ pecuniâ emi: actionem enim (uti vocant) in societate aliquâ pyratice emi, & hoc titulo ex partis per naves istius societatis pyratice portionem meam pro rato accepi. Ergo injustè non acquisivi, quod mediante legitimâ & publicè probatâ istic emtione acquisivi. Sicuti in Belgio foederato, ex partis per societatem Indiae Orientalis, justè portionem suam pro rato aufert, qui actionem aliquam in istâ societate ab alio quopiam possidente emit. *Resp.* Sicuti alia est pyratice, & alia legitima negotiatio; & alia est societas pyratice & societas mercatoria: sic etiam alia est emtio actionis in societate pyratice, & emtio actionis in societate mercatorum. De emtione bonorum furto ablatorum, si emtor furti ignarus non sit, vide quid statuunt leges, apud *Tholosanum lib. 25. cap. 10.* Et inter theologos *Meissnerus in problem. Ethicis & Politicis sect. 1. cap. 6. quest. 4.* Quae analogicè applicanda omnibus aliis rebus, pragmatius, officiis illicitis paratâ pecuniâ, emtis. Ut si quis à principe, aut ejus munerario, aut à pratore emisset facultatem & libertatem exercendi lenoniam, meretri-

cium, magiam præstigiatrix aut divinatrix, mangonium *μαγγόνιον*.

6. *Except.* Quid si Magistratus Aligeriensis actiones aliquas societatum istarum sibi aut ærario publico vindicaret, an non liceret eas immediate à Magistratu emere, & vi illius portionem suam ex acquisitis accipere (non à participantibus pyratice societatis) & bonâ fide possidere: absque ullâ restitutione? *Resp.* Neg. Neque enim venditio Magistratus, pyratice hanc sanctificare, & ab omni injustitiâ purgare potest. Similis fere ratio est, ac publicæ alicujus mensæ scænebris, aut aleatoricæ, quam Magistratus anthropophagicus sibi aut fisco vindicaret aliquot servos injustè captos, aut aliquot puellas injustè captas: an Christiano liceret illos in futurum cibum, & istas in futurum concubinatum emere: quia scilicet ipse Magistratus vendit, & ordinem ac modum omni servorum & servarum negotiationi ponit. Quid si carnibus humanis tum vivis tum mortuis apud anthropophagos, & uxoribus apud Angolenses in Africâ venalibus applicet illud: *Quidquid venditur in macello*, &c. Et, *volente prætor qui emit & possidet, justè emit & possidet.* Instantia: Si Magistratus illi fierent Christiani, & quidem perfectè reformati, & talem negotiationem non tantum permetterent, & modificarent, sed & probarent, immo & ipsi exercerent, jam omnino emtiones & venditiones in foro poli justæ ac licitæ. *Resp.* Nihil minus. Neque enim consuetudo, aut permissio, ordinatio, lex, approbatio, aut factum, & judicium Magistratuum sive fidelium sive infidelium sunt conscientie nostræ regula, nec moralis boni principium; sed lex divina. Quandoquidem ergo actus humanus probatur esse vitiosus, quippe legi divinæ difformis (1 *Job.* 3.) nullâ permissione, aut ordinatione, aut dispensatione, aut approbatione, aut mandato Magistratus, potest in bonum transformari, & legi divinæ conformis fieri. Ut jam non dicam, primam, publicam, antecessoriam, directivam determinationem, casuum conscientie, & liciti aut illiciti ex jure divino non competere judicibus & Casuistis sæcularibus, quibus hodierni aliqui sectarii & Libertino neutrales hoc tributum velint. De quo supra in *disp. de Foro poli*, &c. *part.* 1. §. 1.

7. *Quæst.* An regiones, civitates, ditiones, toparchie iniuste occupata, ablata propriis dominis sint restituenda? *Resp.* Aff. Differri tamen potest restitutio totalis, præsertim civitatis alicujus munitæ, quâ flagrante hoc bello infestâ aut occupatâ hostis plurimum terris nostris incommodare posset. Confer Casuistas de dilatione restitutionis, & *Malderum in 22. Thomæ pag.* 405. 406. 407.

8. *Quæst.* An bona naufragantium, quæ quis in mari fluitantia, aut in lacu, & nauclero ac vectorebus destitutâ navi, aut ad littus appulsa invenit, pro-

propriariis, qui se offerunt aut alioquin inveniri possint restituenda? Resp. Quidni? Et hujus quæstionis determinatio, pendet ab eâ, quam supra notavimus in *disp. de foro poli & soli part. 2. §. 8.* de bonis naufragantium, ubi autores indicantur, qui hanc quæstionem determinârunt. Nos hic solummodo indicamus, quod tunc obliti sumus, exstare constitutionem Julii 2. anno 1509. ; Quâ declarat, consuetudinem capiendi & retinendi bona „ Christianorum per naufragium vel jactum, levandæ navis gratiâ aut aliâ „ necessitate, factum ad littora maris locorum S. R. ecclesiæ mediâtè & im- „ mediâtè subjectorum esse corruptelam, neminique suffragari debere : & „ pœnas à lege vel canone contra hujusmodi spoliatores innovat, & con- „ fiscationis bonorum pœnam addit. Dominos locorum & vicarios hæc „ permittentes eo ipso excommunicatos esse decernit : Raptores in „ flagranti crimine repositos ut latrones & grassatores esse puniendos. „ Excipit tamen casum, quo nautæ in manifesto periculo constituti illorum „ opem implorent, qui eos non sine vitæ discrimine in personarum & re- „ rum conservatione & recuperatione auxilio fuerint : Similis constitutio à „ Paulo 3. anno 1545. & 1549. edita est : ubi auxiliatoribus quarta pars bonorum adjudicatur : quod favore naufragorum inductum esse, notat Flavius Cherubinus ad Julii 2. constit. ut celerius ipsis succuratur. Prohibitio illa de non capiendis bonis naufragantium illata est in bullam excommunicationis, dictam bullam de cœna Domini : cujus explicationem vide apud Toletum lib. 1. Instruct. cap. 18. & seqq. Casuistæ Pontificii communiter improbant retentionem ejusmodi bonorum ; eaque negant habenda esse pro derelictis, ut Sylvester, Navarrus, Toletus, &c. Lessius lib. 2. de Justitiâ & jure cap. 5. dub. 18. & cap. 14. dub. 7. ubi acriter perstringit consuetudinem illam nullo modo tolerabilem, secundum quam bona occupantur à loci gubernatore.

9. Quæst. An bona ablata aut damna alicui data in spiritualibus, requirant restitutionem? *Resp. Aff.* Si quis proximum in errorem aut heresin induxit, aut doctrina, hortatione, consilio, exemplo ad peccatum illud quasi manuduxit : tenetur ad restitutionem, e.g. si quis usuram mordentem seu iniquum scœnus, abusus in vestibus, in vanitatibus capillaribus, in faciei picturis & ornatibus, in diei dominicæ profanatione, in aleâ & sortibus ludicris, in choreis, &c. defendit, aut quæsitis pharmacis, purgare conatur. Hac enim perversâ doctrinâ suâ & purgatione alios in errorem induxit, aut confidentes fecit ad illa perpetranda, à quibus antea, juxta parentum, pastorum, præceptorum suorum rectam institutionem, abstinebant.

Sed quæres, quomodo restitutio facienda? *Resp.* Ut post culpæ confessionem, & veniæ petitionem contrarium asserat, defendat, & eos quos in errorem peccatum seduxit, quantum fieri potest, ad resipiscentiam, & conversionem

versionem ab illo errore aut peccato ad oppositæ veritatis receptionem, & virtutis praxin tum verbis tum factis revocet. Revocatio illa & culpæ agnicio, ac errantium aut peccantium ἐνκαίριος ἀνκαίριος adhibenda instructio sive per nos, sive per alios (occasione aliter non ferente), non tantum cœnam verbis, sed & scriptis (præsertim si quis scriptis scedulis, aut editis libellis vias domini rectas pervertisset) fieri potest. Exemplum hic præbuit Apostolus Paulus, 1. *Timoth.* 1. v. 13. *Galat.* 1. v. 23. 1. *Corinth.* 25. v. 9. *Actor.* 9. v. 20-23. & 26. v. 9-12. Simile quid præstitit *Augustinus*: uti docent ejusdem confessiones, junctæ cum scriptis contra Manichæos.

10. *Quæst.* An sit restitutio, quando benefactoribus inter homines, imprimis præceptoribus, rependimus ἀντιπαραγέδω. (1. *Tim.* 5. v. 4.), & iis beneficia vicissim præstamus à quibus priores beneficiis affecti sumus? *Resp.* Neg. Nisi laxè hanc vocem accipiamus. Sunt enim tria justitiæ commutativæ officia; gratitudo, satisfactio, restitutio. Gratitudo exhibetur verbis & factis: unde natæ hæ distinctæ phrasæ, *gratias agere* & *gratias referre*. *Satisfactio* est; quæ exhibetur, etiam si nullum damnum illatum sit: ut e. gr. quando quis satisfacit alicui, quem contumeliis affecit, etiam si nullum damnum secutum sit. Intelligitur hic satisfactio, quæ proximo præstatur: Satisfactio quæ Deo præstari, & virtus poenitentiae esse dicitur, commentum est Papistarum. De quo alibi disputatur. *Restitutio* est actus justitiæ commutativæ, quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur ei, cui debetur. Omnis ergo restitutio est satisfactio; sed omnis satisfactio non est restitutio. *Bonacina* tom 2. fol. 549. Qui ibidem ad restitutionem refert, cum nobiles aut divites lucrum cessans mercatori restitunt, ad quod in *conscientia*, (ut loquitur,) obligantur: ob pretium mercium creditò emtarum constituto termino non solutum, seu ob solutionem multo tempore dilatam.

11. *Quæst.* An qui bona fide rem alienam possidet, tenetur restituere simulac novit esse alienam: e. gr. si quis à fure per invincibilem ignorantiam emit, rem furto ablatam? *Resp.* Caluistæ Pontifici communitè determinant, ilico restituendam esse domino, absque repetitione & exactione pretii, quo eam ab alio emit. Rationem hanc adferunt, quia æquum non est, ut dominus rem suam emat. Sic *Thomas* 22. qu. 62. art. 6. & *Bonacina*, *Toletus*, *Navarrus*, *Layman*, *Sanchez*, *Sylvius*, *Basæus*. Ex protestantibus theologis *Meisnerus* in probl. *Ethicis & Politicis* sect. 1. cap. 6. quæst. 4. putat tali in casu, non esse æquitatis seu ἐπιεικείας, ut solus emtor & bonæ fidei possessor damnum patiatur: sed ut damnum ferant æqualiter: quod uterque à fure deceptus sit, qui abstulit domino rem suam, & emtori pecuniam suam. A quâ sententiâ non abhorreo: saltem ut aliqua compensatio fiat emtori, dimidiæ, aut minoris, aut paulo majoris partis pretii; prout dominus in re tenui,

seni, emtor in relautâ fuerit; aut prout rara ac pretiosa, aut minus, magisque necessaria domino illa res fuerit; aut prout accuratè, aut negligenter custodita fuerit. In Belgio nostro, naves cum mercibus à pyratibus aut Reipublicæ hostibus titulo belli interceptæ, si à nostris navibus hosti eripiantur, domino restitui aut non restitui debent, pro ratione definiti temporis, quo fuerint in manibus hostium.

12. *Quæst. An & qualis restitutio requiratur injustè partorum, per peccata contra septimum præceptum? Resp.* Restitutionem requiri communiter censent Casuistæ Pontificii & nostri. Videatur ex nostris *Amesius*. Sed in duobus dissentiunt: quorum unum est, an meretrix, adulter, adultera pellex teneantur restituere per impuritates illas injustè parta. Nos *Aff.* Pontificii Canonistæ & Casuistæ de meretricibus communiter negant: uti supra indicavimus. *Epitomator Bonacinæ Antonius Goffar* theologus Leodiensis & protonotarius Apostolicus in adjectis notis seu additionibus: Non teneatur meretrix ad restitutionem mendaciis usitatis multa extorquens *Sor.* lib. 4. qu. 7. art. 1. *Bannes l. c. art. 1. dub. 1. Navar. c. 17. num. 41. in sen.* At si fraude usa esset, dicens, se virginem esse, aut à viro principe tantum cognitam, teneretur, *Lopez part. 1. cap. 96. Soto, Sanchez l. c. Cajet. 22. qu. 62. art. 5. ad 2. Lopez, l. c. cum Cajet. in summ.* non communibus, sed importunis mulierum blanditiis extorta, restituenda esse ait. Hæc sane Casuistica favet Curtisanæ illi, quæ una vice aliquot millia ducatorum à celebri Cardinale accipiebat: uti me legisse memini in *Balance des Cardinaux*. Hic addo & aliam Casuisticam, in quâ à nostris dissentiunt, quam ex & cum *Covarruvia, Fillijucio, Sylvio* habet *Basæus in floribus theologiæ practica*, in voce *Restitutio cap. iv. num. 1. S. 3.* „Fæmina meretrix, &c. potest „promissum sibi pretium in foro externo exigere, quia sicut in foro externo, „permittitur meretricium; ita datur actio ad repetendum pretium; „secus dicendum de fornicatione occultâ, quæ punitur in foro externo, „tunc enim non datur actio, ut si monialis aut virgo, aut adultera petat „promissum sibi pretium.

Forum hoc externum est vel sæculare, vel ecclesiasticum; Episcopale, scil. aut regulare, seu regulare seu prælati regularis, aut canonico-capitulare, coram quo actio in clericos non exolventes promissum pretium instituenda esset. An forum illud actionem hanc coram se institutam satis decorè admitteret, & ei meretrici causam adjudicaret?

De restitutione ab honestâ virginis stupratore, præsertim si ante stuprum spes conjugii, aut etiam promissio facta sit, ex professo egimus *part. 2. politico. eccles. lib. 3. tract. 1. sect. 1. cap. 5.* nec hic repetimus.

13. *Quæst. An sit facienda restitutio pro morte hominis, vel membro injustè*

ablato? Resp. Bonacina in voce *homicidium* §. 19. negat formaliter & ex iustitiâ deberi restitutionem, quod vita & membrum hominis nullam recipiant æstimationem: videri tamen ex quâdam caritate aliquid restituendum esse arbitrio prudentis viri aut confessorii. Nos rectius cum *Amelio lib. 5. cap. 4.* dicimus, restitutionem deberi & posse præstari per æquivalens seu compensatorium aliquod, pro damno dato per vulnerationem proximi, qui toto curationis tempore ab ordinario labore suo cessare debuit, & sibi ac suis ad victum & amictum necessaria acquirere non potuit. Similiter pro damno dato per ablationem membri e. gr. dextræ illorum, qui operis fabrilibus se & suos sustentant; aut unici oculi Cochitis aut utriusque oculi videntium, sine quo aut quibus consuetum opificium suum exercere nequeunt ad sui & suorum sustentationem. Pro damno dato uxori & parvulis liberis occisi, qui per laborem ejus alebantur, restitutio ex iustitiâ debetur, & præstatur per suppeditata alimenta seu vitæ subsidia. Quod ad realia, seu expensas in curationem lætaliter vulnerati, in funus, &c. illa æqualiter sunt restituenda non tantum proximis (ut uxori, aut liberis); sed & quibulvis occisi hæredibus; non tantum pauperibus, aut tenuibus, sed & locupletibus.

14. *Quæst. An restitutio malè partorum per artes & praxes illicitas, sexto decalogi præcepto repugnantis, sit facienda? Resp.* In genere supra dictum fuit injustè acquisita & restituenda. Sunt autem injustè acquisita, per latrocinia, pyratiam, assassinatum, sanguinis innocentis prodicionem & traditionem, veneni propinationem, malam infidam & lætifera medicationem, abortus procurationem, & similia sexto decalogi præcepto repugnantia. Sed dubium movetur, *an praxis funambulorum, & veneni potorum adhibito statim remedio, sit licita, & ipsi per eam licitè acquirant?* Bonacina tom. 2. fol 665. & ex eo compendium ejus in voce *homicidium* §. 6. Ex-
 „ culari, inquit, etiam possunt, qui suâ agilitate corporis ambulant super fu-
 „ nem, aut sumunt venenum adhibito statim remedio; quamvis enim hæc
 „ sint periculosa, nihilominus purgatur periculum per applicationem suffi-
 „ cientis remedii, aut probatæ experientiæ.

Hæc laxa est Caluistica. Sine necessitate, aut honestâ vocatione ac mandato superiorum boni publici causâ, se periculo exponere, repugnat sexto præcepto. Atqui hoc faciunt funambuli. Et plerique tandem crurifragium, aut lumbrifragium, aut capitis & colli letalem contusionem hinc auferunt: haut aliter ac ille, qui cum integra ova sæpe deglutiendo se ostentasset, tandem ovo deglutiri cœpto, sed non transeunte, suffocatus est. Idem dico, de talibus (qualem in hac urbe plurimi videntur) qui lucelli à spectatoribus acquirendi causâ, plures ferreos clavos, inter quos aliqui digitalis longitudinis, aliqui

aliqui ferragine obducti, sibi à spectatoribus, oblatos, deglutiunt. De circumforaneis illis, venenum haurientibus, aut famulo puerove suo publicè propinantibus, idem dicendum, 1. *quia* sine necessitate venenum illud hauriendo, mortis periculo se aut famulum suum exponunt, & Deum tentant; contra *Math.* 4. v. 7. Nec juvat prætexere adhibitum remedium experientiâ probatum. Quam multa intervenire aut accidere possent, quo minus remedium illud vim veneni superaret. De medico, & medicorum antidotis quamvis multâ & quasi perpetuâ experientiâ probatis meritò usurpari potest illud Poëtæ:

*Non est in medico semper relevetur ut æger:
Interdum doctâ plus valet arte malum.*

Refertur, circumforaneum quendam in Italiâ antidota sua venditantem, cum ab altero ejusdem circumforaneæ professionis provocatus, propinati veneni æqualem portionem hausisset, frustra adhibito suo remedio, succubuisse; provocatorem autem, assumptâ æquali portione & adhibito suo remedio, evasisse. Fabula sit an historia, nescio. 2. *quia*, dato potores illos evadere; nihilominus infirmitates virium corporis, dolores, cruciatus subeunt: quibus absque necessitate se aut alios affligere atque excarnificare non licet. Repugnat enim sexto præcepto omnis non necessaria læsio, & afflictio corporis sui, aut aliorum. Nemo enim propriam carnem odio habuit *Ephes.* 5. v. 29. Confer supra disp. de homicidio sui ipsius & flagellatione spontaneâ. Unde etiam colligimus, seipsos pro aliis, interveniente pretio, flagellantes, teneri ad ejusdem restitutionem: quia injustè illud acquisiverunt.

15. *Quæst. An & quomodo damnum fama, aut honori proximi illatum per diffamationes, detractiones, obreclationes, convitia, mendacia, calumnias, myæterismos & irrisiones, & quascunque injurias verbis, scriptis, gestibus, coram aut absenti, clam aut palam illatas compensandum sit.* Resp. Restitutionem aliquam læsæ aut ablatae famæ, aut læsi honoris in foro poli deberi, omnes Casuistæ affirmant. Modus restitutionis variat, pro modo detractionis. Est enim ea vel materialis vel formalis. Illa est, quando aliquid naturâ suâ diffamativum dicitur aut refertur apud alios; absque intentione detrahendi aut lædendi ipsum infamia, sed tantum ex loquacitate & imprudentia. Ista est, quâ coram aliis aliquid sive verè sive falso de proximo præsentem aut absente dicitur, intentione lædendi ipsum infamiâ. Modos detractionis quatuor directos, & quatuor indirectos, sic Casuistæ nonnulli exponunt: ut ex directis 1. *fit, cum* alteri crimen falsum scienter imponitur: qui modus est omnium pessimus. 2. *cum* quis peccatum auget verbis, aut aliis signis & gestibus externis, e.gr.

desputatione, nasi suspensione, capitis quassatione, pedum plausu, pulveris excussione, &c. 3. *cum* quis revelat crimen occultum, quamvis verum. 4. *cum* quis alterius honestum factum in sinistram partem interpretatur.

Indirecte fit detractio 1. *cum* quis negat rectè facta aut dona alterius. 2. *cum* quis diminuit rectè facta; aut dona, aut laudes alterius. 3. *cum* quis tacet bona alterius eo loco & tempore, quo silentium hoc accipitur pro tacita vituperatione & opprobrio. 4. *cum* quis aut simulatè laudat proximum; ita ut illud cedat in laudati vituperium aut opprobrium. Vide & confer infra disp. de convitio, obrectatione, calumnia: ubi varii modi detractio-num, eorumque appellationes ree censentur. His præmissis, de restitutione famæ seqq. conclusionibus determinamus.

1. *Concl.* Qui crimen falsum alteri mentiendo aut mendacium dicendo imposuit: tenetur ad restitutionem per culpæ confessionem, per revocationem, per compensationem. *Confessio* est vel mendacii, vel calumniæ, vel temeritatis. *Revocatio* falsæ criminationis, aut exprobatonis, quæ etiam retractatio, & palinodia dicitur, fit vel coram solo diffamato; vel coram aliis, si coram iis facta sit diffamatio. *Revocationis* modus est per assertionem aut negationem oppositam falsæ assertioni aut negationi, quâ proximo illata fuit injuria. Fit autem ea vel *magis explicitè* cum apertè de Titio negatur, quod affirmatum fuerat e. gr. Titius non est fur, aut perduellis, aut calumniator, aut percussor, aut turbo, aut fallitor, aut hæreticus: seu, non dico, non scio eum maledixisse regi, aut fuisse tunc ebrium, aut pejerasse, &c. Aut cum apertè affirmatur de Titio, quod negatum fuerat, e. gr. Titius est vir honestus, aut est orthodoxus; aut creditoribus suis satisfacit, aut depositum restituit, &c. De factis illis particularibus, aliquando sufficeret talis formula, Non novi, nec dico aut verè dicere possum, à Titio creditores fraudatos, aut depositum detentum, &c.

Magis implicitè & generaliter fit retractatio formulâ apud nostrates usitatâ, *Non novi de Titio quidquam dicere, nisi honorem & virtutem.*

Compensatio, est vel verbalis, vel realis. *Illa* est, cum detractor quâcunque datâ occasione de infamato honorificè loquitur; & specialiter præteritam detractio-nem aut infamationem sepelit, oppositâ affirmatione aut negatione. *Ista* est, cum pro damno per detractio-nem aut diffamationem dato, aliquid à diffamatore ex æquo & bono restituitur. Restitutio ergo hic fit non per se aut propriè pro ipsâ famâ, quæ æstimari non potest, sed pro damno consequente: ut si infamatus, officium aut beneficium non obtinuit, quod absque illâ infamatione obtinuisset; aut à munere aliquo propterea remotus sit; aut viri faminae infamati de furto sive crasso sive pallia-

palliato, five directo five indirecto, domibus aliorum custodiendis, aut domesticis ibi peragendis, aut suis aliorumve mercibus vendendis, permutandis, portandis, exponendis, aliquamdiu adhiberi non fuerint, & consequenter panem suum lucrari nequiverint.

11. *Concl. Ad Restitutionem illam in foro poli tenetur, si quis publicis scriptis, imprimis libellis famosis sive anonymis sive præscripto nomine suo crassa mendacia, aut fabricatas calumnias in proximum suum iniquè efflavit. Quandoquidem, Vox audita perit, litera scripta manet. Quod si diffamatus frater & ejusdem religionis confors sit, aut si parens, præceptor, herus; aut saltem in publico munere ecclesiastico aut politico constitutus, aggravatur peccatum diffamationis, & tanto magis restitutionem requirit. Quæritur autem, an vivâ voce coram idoneis testibus, an vero publico scripto confessio, retractatio, & verbalis compensatio sit præstanda? Priorem modum præstare, indubium est. Posteriores modum aliquando, pro particularibus circumstantiis, admitti posse, nolim negare: si scilicet quod coram idoneis testibus ad id postulatis, aut coram viris ad id à synedrio, aut Magistratu deputatis gestum est, scripto consignetur; illudque scriptum originale, sive ejusdem authenticum apographum diffamato in manus tradatur; nemini publicè privatimque exhibendum, nisi in casu necessitatis, cum diffamatus, bonorum, aut conventus ecclesiastici, aut Magistratus arbitrio, ad justam defensionem & notabilis damni aversionem aut præventionem, scriptum illud exhibere tenetur. Priorem modum, Melanthen, Camerarius aliique istius temporis heroës eruditione & pietate præfulgidi probârunt, & præscripserunt, in casu Nicolai Gerbelii, qui valde senex Argentorat. obiit anno 1560. vir (teste Joach. Camerario in Vita Melanthonis) optimas integerrimus, humanitate & suavitate morum, doctrinâ, omni genere solida laudis excellens. Integram historiam ex Camerario pag. 369. (edit. in 12. anno 1655.) hic exhibeo. „ De quo (Gerbelio scilicet) accidit „ quod nullo modo reticendum putavi. Cum enim is esset vir ille, „ quem diximus, & probitate innocentiaque ac studio religiosæ pietatis commendaretur imprimis, quæ erant laudes in ipso decoræ & illustres, & prædicabantur ab omnibus: Quidam in libello Rhetoricorum „ præceptorum suo exponens exemplum actionis capitalis, hunc tanquam „ Sacrilegii reum nominatum introduxit, & ab accusatore peragi fecit. „ Quod factum ut autor affirmabat, inconsideratè & temerè (etsi non est „ ista in professore Rhetorices bella defensio) & optimus atque innocentissimus vir Gerbelius, & amici ipsius graviter, quemadmodum par erat, „ & perquam iniquè tulerunt. Deque ea injuria tam atroce querelas suas ad „ Philippum Melanchthonem detulerunt, cui illius libelli scriptor notus esset.*

„esset, & significarunt, se constituisse, quibus modis possent pro fama &
 „dignitate nominis Gerbeliani propugnatos, & eam contumeliam ab
 „ipso propulsaturos vindicatorumque esse. Ea res cum & Philippo Melanch-
 „thoni & nobis omnibus magnum dolorem afferret, videreturque mag-
 „nopere vel exempli causa animadvertenda, & esset tamen autor libri is, in
 „cujus persona etiam aliorum respectus verteretur, Philippi autem Me-
 „lanchthonis animus, ut semper, sic tunc quoque ad pacem atque concor-
 „diam inclinaretur, ita ab hoc est negotium illud his ferè conditionibus
 „transactum: ut criminis infamia ante omnia removeretur, & nomina te-
 „meraria, ut affirmabatur, incuria falsò inculcata statim inducerentur,
 „& ipse autor peculiari scripto fateretur injuriam, eamque à læso deprec-
 „retur. Est autem omnibus nobis facinus illud visum perquam indignum
 „& malum, sive cogitatum seu per imprudentiam commissum. Què enim,
 „si proposito & consilio factum esset, pœna autori irrogari deberet, consta-
 „bat. Quis autem à tali culpa fraudem malam abesse possit dicere? Sed in
 „scribendi edendique scripta infinita licentiâ, & levitate ambitionis, &
 „famam doctrinæ affectantium insanis cupiditatibus, & hæc & hujusmodi
 „alia prava atque perversa accidere necesse est; quibus profectò plus damni
 „datur moribus & vitæ, quam ullarum rerum demonstratione aut ex-
 „plicatione bonæ utilitatis conferatur. Atque tum & majora quoque &
 „cætera omnia ferè sic gerebantur, ut & in præsentia admodum turbu-
 „lentæ res essent, & in posterum nihil spei bonæ sese ostenderet.

In foro soli quæ diffamatorum restitutio, seu mavis satisfactio requira-
 tur, & quæ pœnæ diffamatoribus, præsertim scriptis diffamatoribus ad judi-
 centur, docebunt te Jureconsulti ad *tit. Codicis* 35. & 56. libri noni, ad *Pan-*
dectarum tit. 10. libri 47.; & Canonistæ ad *Decretalium tit. 8. & 36. libr.*
quinti. Et compendio *Ludovicus Gilhausen* in commentario ad *P. tit. 47. De*
injuriis & famosis libellis anno 1602. S. 9. 10. 11.

16. *Quæst. An si diffamator, præsertim, qui publicis scriptis mendacia & cal-*
umnias promulgavit, restituere nolit; sed potius diffamationes diffamationibus
superaddat, aut easdem gloriabundus toties quoties publicè repetat: an injuriâ
affecto ad ecclesiam aut Magistratum querelas deferre liceat, & remedium po-
stulare. Resp. 1. De ecclesiâ, ut semper in quocunque rerum statu, & hoc
 quoque in casu id agat, nolim suadere: multo minus asserere, absolutè &
 semper hoc esse illicitum: præsertim cum apud extraneos à fide & ecclesiâ
 nostrâ, tales diffamationes avidè arripiuntur, & in præjudicia atque oppro-
 bria non tantum contra aliquem aut aliquos religionis & ecclesiæ nostræ
 antecessores, sed & contra ipsam communem nostram religionem & eccle-
 siam convertuntur. Probationes in præsentî nullas adferam, nisi ex *Math. 18.*

v. 15. 19. *Et si frater tuus in te peccaverit, &c. dic ecclesiæ, &c.* Resp. 2. De Magistratu absolute negari nequit; ne quidem si à religione & ecclesiâ nostrâ alienus sit; gravi necessitate ita ferente, cum diffamator non desinit in famam proximi publicis scriptis grassari, & cum ecclesiam non audit. Vi-
de commentaria nostrorum ad 1 Cor. 6. v. 1.

17. *Quæst. An si nec ab ecclesiâ nec à Magistratu remedium adhibetur: possit quis seipsum vindicare: cum sine modo sine fine publicis scriptis diffamatus, impostis talibus criminibus, quæ vel infamiam, ita loquar, ecclesiasticam (ut e. gr. heresios, scismatis, & similia & perturbata pacis ecclesiasticæ); aut politicam inferrent: immo & pœnas postulerent; ut e. gr. si falsò accusetur, criminis falsi, perjurii, seditionis, rebellionis, læsæ majestatis, perturbatæ pacis publicæ, adulterii, furti, &c.* Resp. 1. Privata vindicta illicita est. 2. Retorsio etiam illicita, per mendacia, calumnias, opprobria, &c. *Math 5. v. 39. cum Rom. 12. v. 19.* Posito diffamatorem mendaciis, & calumniis, opprobriis graviter peccasse; tibi tamen, mentiri & calumniari non licet. 3. Illicita est amolitio & vindictio diffamationis, per corporalem læsionem aut occisionem diffamatoris. De quo alibi in quæstione de duellis.

Adeo ut impia sit doctrina Jesuitarum, quâ in prælectionibus suis determinabant læsum quem in puncto honoris non acceptâ satisfactione, posse eum qui læserat, clam tollere: non minus at per moderamen inculpatæ tutelæ ad defensionem vitæ, aggressor occidi potest. Ratio est, quia honor nobis potior est vitâ nostrâ. Mirabiles sane consequentiæ. Universitas Parisiensis abominanda hæc mysteria à se detecta merito condemnavit, libro Gallicè a. 1644. edito tit. *Requeste, proces verbaux, advertissemens, &c.* in 8. De quo infra in addendis.

ALIQUOT PROBLEMATATA

AD IX. PRÆCEPTUM DECALOGI.

Resp. LAMBERTO GROEN Buscoducensi, 6. Octobris 1655.

Quamplurimæ quæstiones & materiæ ab interpretibus decalogi & Casuistis ad nonum præceptum tractari solent. Nos hic vice seligemus nonnullas.

1. De mendacio, deque simulatione & dissimulatione.
2. De dolo, æquivocatione, mentali restrictione; deque prodicione, delatione, perfidiâ.
3. De falso.
4. De convitio, obtreptione, calumnia.

Probl.